Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26898
Copyright: Admont, Benediktinerstift

one. ita officio quoque inter invisibilia et visibilia ferri videntur. et que
a superioribus ad inferiores deferenda sunt. secundum dignitatem et offi
cium suum administrare. In his autem dominationes prime. que singulari ex
cellentia invisibilem annuntiationem in virtutibus solo imperio fir
mant. virtutes autem secunde. que preceptum imperium exequendo in po
testatibus edunt. potestates vero tercie. que conceptum mandatum in
principatibus angelis et archangelis sibi ad operationem subiectis perfici
unt. Qui autem per angelos et archangelos virtutes constituunt. il
los nimirum spiritus intelligi volunt per quos frequentius signa et mi
racula fiunt. ut in hoc quoque postreme dispositionis proprietas ser
vetur. cuius ministerium ad exteriora sola dispensanda ordinatum
esse putamus. Potestates vero dicunt illos spiritus vocari. qui adversas
virtutes subiectas habent. et eas secundum datam potestatem libere
comprimunt. ne tantum nocere valeant quantum volunt. Principatus
autem appellatos putant. eos nimirum spiritus. qui ipsis etiam bonis
angelorum spiritibus prelati sunt. quibus divina agenda queque imperant. sub
iectis ad explenda divina ministeria principantur. et superiores
existunt. Dominationes autem dictos qui etiam principatus excellenti
ori potestate transcendunt. ut ipsos quoque subiectos habeant.
quos aliis ad ministerium explendum imperare meruerunt. Hec
breviter de ordinibus angelorum et nominibus ad futuram narrati
onem necessaria prelibanda esse putavimus. ut semel dicta lec
tor ad singula queque prout racio poposcerit. et causa insequentibus
commemoranda super his vel fortassis sine his obscura dicenda
assumat. Nunc ad ipsius textus seriem explanandam revertamur.
Supra dixit quod non habent racionem theologi nominandi angelicum
ordinem. archangelos aut thronos aut seraphin. quod ipse videlicet an
gelicus ordo. non est in participatione illarum excellentissimarum